



**Tabvlæ Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ  
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Tertia Navfragii Tabvla: Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ Blattarvm  
inclementiam euasere, de Festis

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1615**

F. Philippvs Bosqviervs Cæsarimontanus, Franciscanus Obs. Prouinc.  
Flandriæ, Lectori suo beneuolo Pacem & Veritatem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56152)



**F. PHILIPPVS BOS QUIERVS**

*Cesarimontanus, Franciscanus Obs. Prouinc. Flandria,*

*Lectori suo beneuolo Pacem &*

*Veritatem.*



Quoniam (Lector beneuole) nonnulli, nescio quo genio, bono ne an malo, ipsi viderint, mihi sanè ipsi aut Negligentiæ, aut ignorantie vehementer suspecto, in excudendis, aut castigandis & recudendis quorundam Seraphici Ordinis nostri Autorum scriptis plerisque multis, tacuerunt in librorum frontispiciis, ipsos Autores ex Ordine Franciscanorum esse, sed ne quidem eorum propriis nominibus FRATRIS prænomen (perpetuam illam iam olim hætenus religiosorum hominum cuiuscunque classici & probati Ordinis notam) præfixerunt, quod in Fr. Petri Galatini volumine de Arcanis Catholicæ Veritatis; in F. Andreae Vegæ Hispani, & Magistri Salmanticensis, doctissimis illis & copiosissimis de Iustificatione libris Coloniae in fol. 1572. editis; in F. Ioannis Feri operibus plerisque omnibus, in Fr. Marci Vigerij Cardinalis Decachordo, etiam nouissimè Duaci per Balthasarem Bellerum recusò; & in Fr. Iohannis Pechani Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsulis quinque libris Bibliorum Collectaneis edendis omnium Ord. Franciscani hominum, video peccatum esse; Sed & præterea nonnunquam contingit temporum lapsu, aliis aliorum lucubrationes falsò adscribi, vt D. Hieronymo quædam, quæ sunt Sophronii; D. Augustino, quæ sunt Bedæ aut alterius; Iohanni Gersoni Imitatio illa Christi, quæ est Fr. Thomæ de Kempis, Ciceroni in Sallustium responsio vel ab ipso Quintiliano adtribuitur, quæ est alicuius declamatoris ac fortassè Porcij Latronis (si Sebastia.

stia. Corrado in Quæstura credimus. Egoq; ipse, tantulus  
inter Scriptores, nouissimè duplici iniuria sum ab Anto-  
nio Posseuino in Apparatu eius sacro Coloniae 1608. edi-  
to, affectus, vna, quum *Monomachiam* meam, seu *Concio-*  
*nes 40 de tentationibus Christi in deserto* alteri adscrip-  
sit; altera, quum de me vno scriptore duos fecit, & ex vni-  
us eiusdemque hominis scriptis altera cuidam *Bosquero*,  
altera cuidam *Boskhiero*, quasi alteri Scriptori, adiudica-  
uit, deceptus scilicet vir alioqui doctus & bonus, varia  
cognominis mei scriptione, qua modò *Bosquierus* nouè  
(more Patris & Patrum, & aliorum quorundam cog-  
nomiorum tam Auesnis, quàm in Gallia: ) modò priscè, imò  
nouantiquè & Græco significatu, *Boskhierus* ( vt ferè  
maiores quidam mei ) scribere soleo: Sic enim Antonius  
ille Posseuinus in illo opere, q̄ nunc dixi, litera P. scribit:

Philippus Boscherius *Hannon. Caesarimontanus Conuē-*  
*tus D. Francisci Lucemburgi Prouinc. Flandria Guardianus,*  
*scripsit opus pranotatum, Orbis Terror, seu Concionum de Fi-*  
*nibus Bonorum & Malorum, libris duobus. Edidit Balthasar*  
*Bellerus Duaci anno 1603. Cùm antea euulgasset duos libros*  
*quibus Parabolā filij Prodigij patrio sermone explicat; Qui prior*  
*Motibus anno 1596. editus, alter Atrebatu anno 1597. prodierūt.*  
*Notas in Monomachia Christi incruentam Latine, anno 1598.*

Philippus Bosquerius *emisit Monarchiam ( Monoma-*  
*chiam dicere voluit) Iesu Christi & Luciferi incruentam, seu*  
*Concionum XL. (pro 40.) de tentationibus Christi in deserto.*  
*Notas. Duaci apud heredes Petri Belleri: & librum inscriptum*  
*Ara Coeli, seu Conciones de Honorario à Magis Orientis, Iesu*  
*infanti oblato. Antuerpia apud Gassparem Bellerum ann. 1607.*

Litera vero H. sic: *Henricus VVillot Ord. Minorum, Belga,*  
*ex Oppido quod dicitur A Fontibus Episcopi, in finibus Tracta-*  
*tus Leodiensis, scripsit Notas ad Monachiam Christi incruen-*  
*tam, &c. Monomachiam dicere voluit, quā tamen VVil-*  
*lotius ille nullam edidit Magister in Theologicis meus*  
*charissimus & doctissimus, doctior sanè, quàm) vt Mono-*  
*machia illa mea ipso digna, sit: Quoniā (inquā illa ipsa*  
*sic se habent, operæ precium magnum mihi fore visum*  
*est, si hic nomina librorum, quos iam edidit gratia Dei*  
*mecum, & quos pro meis agnosco, quosque deinceps in*  
*lucem Deo benè fauente sum daturus, recenserem, &*  
*quibus*

quibus quisque locis, & apud quos, editus est, indicarem. Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum Veritati, & Iustitię optimè consulero, faciens scilicet, ut deinceps nemo bonus in suspicionem plagij falsò apud posteros veniat, neminem innocentem & doctum, mearum si quę sunt, nugarum, aut minùs accuratè scriptorum immeritò pudeat; nemo corniculæ, seu AEsopicae seu Horatiang, instar, plumis alienis, aliquandò à grege auium repetendis, superbiat.

Mea igitur sunt, (ita fateor, & agnosco, bone Lector) quę sequuntur, Gallica, Latina:

#### GALLICA.

\* *Tragedia noua*, cui Nouaculæ nomen, aduersus luxū vestium, versu Alexandrino. Edidit Carolus Michael Montibus Hannoniæ in 8. ætatis meę circiter 26.

\* 2. *Oratio funebris*, in Ducem Arschottanum. Edidit Petrus Auroy Duaci Catuacorum in 8. ætatis 50.

\* 3. *Academia peccatorum*, seu Conciones de Prodigij Euangelici proteruitia & luxu. Edidit Carolus Michael, Montibus Hannoniæ in 8. ætatis circiter 34.

\* 4. *Flagellum Academicum peccatorum*, de Prodigij eiusdè per famem viagationem. Edidit Gulielmus Riuerius, Attrebatii in 8. ætatis circiter 35.

\* 5. *Seruitus peccatorum*, seu de Prodigio iam subulco. Edidit idem Riuerius ibidem in 8. ætatis circiter 37.

\* 6. *Pœnitentia eiusdè Prodigij*, Edidit Oliuerius Varennius Parisijs in 8. & cum eadem recudit vniformiter tria prius memorata volumina, & corpus vnum ex quatuor, fecit quod Ludouico XIII. Gallorum Regi, Philippi III. Hispan, Regis Genero dicaui, eiusque Maiestati in manus ipse dedi, in ipsis Luparæ penetralibus, 12. Martij, ipso D. Gregorij, ætatis circiter 50.

#### LATINA.

\* 1. *Monomachia Christi & Luciferi*, seu Concionum 40. de Tentationibus Christi in deserto, Edidit Gulielmus Riuerius Attrebatii in 8. ætatis circiter 37. Recuderunt correctiorem & auctiorem Petrus Borremanus, Duaci Catuacorum; similiter & Ioannes Crithius meus, Colonię.

\* 2. *Tbe*

\* 2. *Theatrum Patientia*, seu concionum 40. de Passione Domini, Notæ. Edidit Balthasar Bellerus, Duaci in 8. ætatis circiter 40. Recudit Ioannes Crithius Coloniae eodem titulo. Item Petrus Borremanus Duaci correctionem & auctiorem, sub nomine Codri Evangelici, Nouissimè etiam meus Crithius sub Codri quoque nomine.

\* 3. *Orbis Terror*, seu de Finibus Bonorum & malorum, Morre & Iudicio. Edidit Petrus Bellerus, Duaci Catuacorum in 8. ætatis circiter 42. Recudit semel & iterum Frācisus Iacobus Mertzenich Coloniae, sumptibus Ioannis Crithij.

\* 4. *Orator Terra Sancta*, seu Philippicæ sacræ aduersus Turrcarum Barbariem, & importunas Christianorum discordias, proposito Psalmo *Deus venerunt Gentes*, &c. Dicatus est Paulo V. Pont. Opt. Max. Edidit Petrus Borremanus, Duaci in 8. ætatis circiter 44. Recudit meus Crithius Coloniae.

\* 5. *Ara Cæli*, seu Echo Concionum 30. de tribus Magis, pueri Iesu adoratoribus; proposito Euangelio, *Cum natus esset Iesus in Berthehem*, &c. Edidit Petrus Borremanus, Duaci Catuacorum in 8. ætatis circiter 45. Recudit meus Crithius, Coloniae.

\* 6. *Legatus Apostolicus*, seu Echo concionum xxxix. de Baptistæ Magni, aduersus incæstum, reliquaque Herodis peccata, dicendi libertate, ex variis euangelistis. Dicatus Philipp. III. Hisp. Regi. Ludouici XIII. Gall. Socero. Edidit meus Crithius, Coloniae in 8. ætatis circiter 50.

\* 7. *Tabula Naufragij*, seu Echo Concionum aliquot de Dominicis & Festis. Edidit meus Crithius, Coloniae in 8. ætatis meæ 52.

\* 8. *Secunda Naufragij Tabula*, seu Echo Concionum aliquot de Dominicis & Festis. Coloniae, edidit Crithius in 8.

\* 9. *Tertia naufragij Tabula*, seu Echo Concionum aliquot de Festis. Coloniae edidit Crithius in 8.

\* 10. *Vegetius Christianus*, seu de tota arte militari, ad Turcam citò, tutè, secureque debellandum. Coloniae edidit Crithius 1615.

\* 11. *R. P. F. Ioannis Houdemij Franciscani Passio* Rhythmi-

mica, Christianas facta, in libellos sex distincta, castigata, argumentis libellorum biforiis aucta, & Ordini D. Francisci vindicata. Edidit Matthias Birthon, Luxemburgi in 12. ætatis circiter 42.

Hæc iam edita: supersunt verò, vita comite & Deo adiutore, edenda.

GALLICA;

\* 1. *Supplementum parabola Prodigii*, seu latus eius ad suos receptus, per Conciones, toti Aduentui seruituras distinctus.

\* 2. *Maria Ceruiensis*, Comædia versu Gallico de R.P.F. Iacobo Lescaillero Franciscano celeberrimo à morbo desperatissimo, ope Matris Virginis Ceruiæ curato.

LATINA;

\* 2. *Vltimunda*, seu de Finibus Bonorum & Malorum, Cœlo & inferno.

\* 2. *Carcer, & mors Baptista Magni*.

\* 3. *Conciones 40 de Christi Crucifixione*.

\* 4. *Prodigus Allegoricus* de Christo expositus 24. Concionibus Athi declamatis, ternis Octauis V. Sacramenti,

\* 5. *Legationes vltima Oratoris Terra sancta*.

\* 6. *Paradoxa Euangelica Concionibus explicata*. Quæ, iam olim & nunc recenter dedi, vides (beneuole Lector) quæque dare in posterum velim, data boni consule, & vt tu sperata quoque consequi, ego dare possim, me precibus tuis apud Deum iuua, & Vale.

Datum Cumis prope Montes Hannoniæ, ipso die purificationis, 1614.

*Apographum Licentia pralati.*

**F**Rater Ioannes Neyen Ord. Minorum Reg. Obs. R. mi. Patrie Generalis Ministri, super Belgicas Prouincias, nec nō Colonia, Argentine, atque Hyberniæ, cum plenitudine potestatis Commissarius Generalis, Venerādo admodum in Christo Patri F. Philippo Bosquero Prouinciæ nostræ Flandriæ Sacerdoti, Prædicatori, Confess. & sacra Theologiæ Professori salutem in Domino.

Quandoquidem video passim magno doctorū adplausu recepta, quæ hætenus opera, seu Latine seu Gallicè edidisti, imò & ipsum Pontificem summum Paulum V. Oratorem tuū Terræ sanctum gratum habuisse: idcirco Venerande Pater, nō solum tibi licentiam, pergendi & noua cudendi, aut vetera recudendi facio, sed & paternè te hortor, imò, & ad meritum obedientiæ, præcipio, vt scribas atque edas, quæcunque tibi expedire videbuntur, ad gloriam Dei Opt. Max. Ecclesiæque Christianæ vtilitatem, cari que mihi erunt, quicumque tibi hæc in re voluerint esse fauores. Vale, & ora pro me. Datū Bruxellis, sub meo chirographo, officiiq; mei sigillo, 23. Iunij. 1607.

Fr. IOANNES NEYEN *Commiss. gener.*

**A P O G R A P H V M L I C E N T I A E**

R. P. Ministri Prou. Flandriæ.

**F**Rater Petrus Carpini Ord. Minorum Reg. Obseruantia, Prouincia Flandria Minister & seruus, R. P. F. Philippo Bosquero, eiusdem Ord. & Prouinciæ sacerdoti, Præd. & Confess. salutē in Domino sempiternam.

Quandoquidem hætenus non infœliciter ingenij tui foetus in lucem edidisti, & adhuc totus in hoc es (vt ait ille) Condendis, & componis multa alia posteritati, vti speramus, profutura, cupisq; vehementer, vt qua edis, etiā à nobis, ad Obedientia salutaris meritum, aut orentur, nos pijs tuis conatibus impensius fauentes, tibi literis istis licentiam facimus prælo tradēdi, edendiq; Gallicum quemdam tractatum de parabola prodigi Euangelici, nec non librum illum, quem Vegetiū Christianum vocas, & Tertiam Naufragii tabulam. dūm tamē etiam Censuram legitimi liborum Censoris proferant. Atq; vt cum Obediētia merito id præstes, ita facere te hortor, & moneo. Vale in Domino, & ora pro me. Datum in Conuentu nostro Auesnensis vrbs in Hannonia, 30. Septembris 1614. sub sigillo Officij mei maiore.

Locus sigilli.

Fr. Petrus Carpini manu propria qui supra.

Edi-